PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. X - N. 1

1978

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1 IUNIO 1978

Decimo Anno

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocutio ad Sacram Romanam Rotam 5

Allocutio ad quosdam Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis 11

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Episcopis

De titulo tribuendo Episcopis officio renuntiantibus 18

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Litterae circulares ad Archiepiscopos et Episcopos Dioecesanos 19

Epistula Exc.mo ac Rev.mo D. Quinn 20

Epistula Em.mo ac Rev.mo D. Card. Salazar Lopez 21

Pontificia Commissio de Spirituali migratorum atque itinerantium Cura

Decretum 23

Normae 24

COMMISSIO 33

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in apparandis Canonum Schematibus

I. *Coetus studiorum de Sacramentis*

Titulus IV: De Sacramento Paenitentiae 47

Titulus II: De Confirmatione 74

II. *Coetus studiorum de Iure Matrimoniali* 86

Notitiae 128

OPERA CONSULTORUM IN APPARANDIS CANONUM SCHEMATIBUS

I

COETUS STUDIORUM DE SACRAMENTIS

Coetus specialis constitutus ad animadversiones et suggestiones ab Organis Consultationis prolatas (cf. Communicationes, *9, 1977, p. 323), quae novos canones de sacramentis — matrimonio excepto — respiciunt, examinandas, sessiones habuit diebus 20-25 mensis iunii, 1977 et diebus 14-19 novembris 1977, moderante Exc.mo R.I. Castillo Lara, Secretario Commissionis, Relatore Rev.mo W. Onclin, Commissionis Secretario Adiuncto.*

Conventus dd. 20-25 iunii 1977 habiti

TITULUS IV

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE

Relator animadversiones, sive generales sive ad singulos canones, ab organis consultationis missas in synthesim redegit, quae prae oculis in laborum decursu habetur. Considerantur imprimis animadversiones generales:

I) Ad quaestionem de titulo quocum hoc sacramentum inscribatur quod attinet, propositionibus factis consideratis, seligitur ille: *De Sacramento Paenitentiae.* Notat aliquis Consultor quod necesse est ut adiungatur verbum *sacramento* quia *paenitentia* significare potest etiam virtus paenitentiae.

II) Omnes conveniunt ut in examinis decursu ratio habeatur de *Ordinis paenitentiae* praescriptionibus, sicut a pluribus Episcoporum Conferentiis petitum fuit.

III) Aliqui, notat Relator, alium ac nostrum ordinem schematis proponunt, sed inter se minime conveniunt quoad rationes allatas.

Unus Consultor proponit ut ordo sit quem proponunt animadversiones a S. Congregatione de Sacramentis deque Cultu Divino prolatae, nempe: 1) de natura et necessitate Sacramenti; 2) de celebratione et absolutione (de temporibus et locis celebrationis; de variis formis celebrationis et de absolutione individuali et communitaria); 3) de ministro Sacramenti; 4) de paenitentibus.

Aliqui Consultores praeferunt ordinem ab una Conferentia Episcoporum propositum, qui habet:

1) de celebratione Sacramenti; 2) de officiis et ministeriis; 3) de subiecto; 4) de ministro.

Divisio haec magis convenit cum illa quae adhibita est pro aliis sacramentis.

Relator animadvertit maiorem partem organorum consultationis cum divisione nostri schematis concordare. Insuper qui discrepant, inter se non conveniunt et nulla adest vera ratio ut ordo mutetur. Quapropter melius est ut prius canones recognoscantur et postea disceptatio de ordine mutando instituatur.

Unus Consultor instat ut ordo a Conferentia Episcopali superius indicata et a S. Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino propositus assumatur, praesertim ad vitandam diversitatem inter Codicem et *Ordinem*.

Uni Consultori non placet ut in Codice aliqua detur inscriptio de natura et necessitate sacramenti, cum haec ad tractatum theologicum vel moralem pertineant potius quam ad Codicem.

Tandem aliquando omnes conveniunt ut in fine recognitionis textus de eiusmodi ordine tractetur.

IV) Dimensio socialis et reconciliatio communitaria in diversis canonibus considerandae sunt.

V) De tribus celebrationis formis suo loco discutiendum est, tamen omnes conveniunt non in eodem plano ponendas esse.

VI) De infantibus melius sermo instituitur cum de SS. Eucharistia loquetur; ita de religiosarum confessione melius est ut in iure de religiosis aliqua dicantur; item suo loco agetur de sede confessionali. Titulus de censuris potius ad ius poenale pertinet et quaestio de vestibus liturgicis adhibendis ad praescriptionem librorum liturgicorum remittitur.

VII) Omnes conveniunt impossibile esse ius paenitentiale condere. De absolutione a censuris in iure poenali sermo fiat.

VIII) Coetus de Sacramentis omnino sibi persuasum habuit peccatorum reservationem ratione sui amplius non dari. Ceterum nulla Episcoporum Conferentia eam quaesivit. Falsa delatio confessoris est unicum exemplum reservationis peccati ratione sui in iure Ecclesiae universali Codicis.

IX) De Indulgentiis suo loco agetur.

X) Fieri non potest ut in Codice notiones de peccati gravitate determinentur cum res pertineat ad doctrinam.

XI) Ad necessitatem contritionis magis affirmandam quod attinet, cavendum est ne omnia confessionis elementa insimul sumantur, quia contritio valet sed non sine relatione ad sacramentum. Non sustinetur altera pars sententiae alicuius Conferentiae Episcopalis ne obligatio canonica confessionis tollatur.

XII) Quoad validitatis absolutionis generalis agnitionem, aliquis Consultor notat quod Concilium Tridentinum tenet esse iuris divini submissionem absolutioni individuali post illam generalem et multi tenent quod in absolutione generali sub conditione absolvitur. Adiungit unus Consultor difficile esse rationes theologicas assignare: plerique ad peccatum inoboedientiae recurrunt.

XIII) De facultate ad confessiones audiendas agetur in singulis canonibus.

XIV) Quoad terminologiam, unus Consultor petit ut facultas absolvendi vocetur *facultas paenitentialis*. Alter Consultor praeferret ut dicatur *facultas absolvendi seu paenitentialis*, claritatis gratia. Sed res postea magis considerabitur.

Gressus denique fit ad singulorum schematis canonum examen.

Can. 130 (CIC 870)

In Sacramento paenitentiae per absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideles rite dispositi peccata confitentes veniam peccatorum quae post baptismum commiserint pacemque cum Ecclesia obtinent.

Consideratis animadversionibus in consultatione prolatis, textus qui probatur est sequens:

In Sacramento paenitentiae fideles peccata legitimo ministro confitentes, de iisdem contriti simulque propositum sese emendandi habentes, per absolutionem ab eodem ministro impertitam, veniam peccatorum quae post baptismum commiserint, a Deo obtinent simulque reconciliantur cum Ecclesia, quam peccando vulneraverunt.

Duo Consultores petunt ut loco *confitentes* dicatur *confessi*, tamen, ceteris discrepantibus, textus remanet ut iacet et probatur.

Quoad animadversionem utrum adhibendum sit verbum *iudicialem* post *absolutionem* unus Consultor tenet adiectionem non esse faciendam ne actio iudicialis in paenitentiae sacramento ad solam absolutionem restringatur; tota enim actio sacramenti est actio iudicialis, sed considerandum etiam est quod verbum *iudicialem* est in Concilio Tridentino. Alter Consultor etiam tenet verbum *iudicialem* non esse addendum. Absolutio est potius sententia absolutoria in qua actio gratiosa praevalet. Tertius Consultor animadvertit adiectivum *iudicialem* esse in Codice et ex eius suppressione theologi arguere possunt de aliqua doctrinae mutatione. Idea iudicii ferendi in confessione remanere debet, sed non necessario hoc in loco. Sermo institui potest ubi agitur de confessione quia character iudicialis sacramenti paenitentiae servari debet. Quartus Consultor mallet ut adiectivum in textu remaneat, cui non consentit quintus Consultor. Primus Consultor tenet quod si adiectivum *iudicialem* inseritur etiam in absolutionis formula inserendum est; ideoque melius est ut omittatur quin negetur iudicialis indoles. Tandem aliquando omnes conveniunt ut non inseratur hoc in canone verbum *iudicialem*; sufficit alio in canone mentionem facere.

Caput I

DE CELEBRATIONE SACRAMENTI

Can. 131 (novus)

Individualis et integra confessio atque absolutio unicum constituunt modum ordinarium, quo fidelis peccati gravis sibi conscius se cum Deo et Ecclesia reconciliat, nisi impossibilitas physica vel moralis ab huiusmodi confessione excuset.

Proponente aliquo Consultore loco *se ... reconciliat*, omnes conveniunt ut dicatur *cum Deo et Ecclesia reconciliatur.*

Unus Consultor petit ut verbum *unicum* deleatur, quia contrarium videtur verbo *ordinario.* Alter Consultor suppressioni propositae contradicit; agitur enim de modis absolutionis sacramentalis et non de modis contritionis. Iuxta sententiam unius Consultoris, ratio ut servetur est ne absolutio generalis et personalis inter se aequiparentur et petit ut titulus huius capitis inscribatur *de celebratione sacramenti* loco *de absolutione sacramenti.* In fine disceptationis suffragia feruntur et maior pars convenit ut textus maneat prouti est. Unus Consultor sese abstinet, et duo sese contrarios declarant. Aliquis Consultor proponit ut post *ordinarium* addatur *sacramentalis*, sed alii contrarii sunt. Alter Consultor animadvertit id superfluum esse, quia saltem in voto semper requiritur sacramentum.

Circa propositionem quae tenet necessitatem confessionis ex iure divino affirmandae, Relator animadvertit quod, saltem in calce, citatio Concilii Tridentini (XIV, cap. 2-5, cann. 4, 6, 7) addenda est.

Reicitur propositio de mentione hic facienda absolutionis communitariae, etsi fortasse impossibile non erit in alia paragrapho mentionem facere de celebratione communitaria sacramenti paenitentiae iuxta modos in ordinibus liturgicis praevisos.

Quoad verba canonis *nisi impossibilitas ... excuset* aliquis Consultor dicit iam in can. 158 contineri. Alter Consultor tenet verba deleri posse, etsi difficultatem non habet ut remaneant. Tertius Consultor mavult ut remaneant, quia proveniunt ex Concilio Tridentino. Quartus Consultor praeferret ut verba remaneant, quia non nocent etsi pertineat theologiae morali sermonem instituere de integritate materiali confessionis. Forsitan melius esset ut dicatur *reconciliare tenetur, nisi ...* Quintus Consultor animadvertit *impossibilitas physica vel moralis* esse verba ex quibus proveniunt canones 132-133, ubi eorum significatio explicatur. Suffragia feruntur et maior pars convenit ut verba serventur.

Reicitur insuper propositio addendi verba *magna utilitas pastoralis* post *moralis*. Ideoque textus canonis remanet prouti iacet, unica emendatione admissa et superius indicata.

Can. 132 (novus)

§ 1. Firmis praescriptis can. 133, absolutio pluribus insimul paenitentibus, sine praevia individuali confessione, generali modo impertiri potest, immo vel debet:

1) si immineat periculum mortis et tempus non suppetat sacerdoti vel sacerdotibus ad audiendas singulorum paenitentium confessiones, quo in casu praemittatur, si fieri possit, brevissima exhortatio ut actum contritionis quisque elicere curet;

2) si accedat gravis necessitas, videlicet quando, attento paenitentium numero, confessariorum copia praesto non est ad rite audiendas singulorum confessiones intra congruum tempus, ita ut paenitentes, sine propria culpa, gratia sacramentali aut Sacra Communione diu carere cogantur; quo tamen in casu, christifideles de requisitis ad normam can. 133 moneantur.

§ 2. Pluribus insimul paenitentibus absolutionem generali modo impertire non licet, cum confessariorum copia praesto esse potest, solius magni paenitentium concursus ratione, qualis haberi potest in magna aliqua festivitate aut peregrinatione.

§ 3. Iudicium ferre an dentur condiciones ad normam § 1, 2 requisitae, pertinet:

1) ad Episcopum dioecesanum, collatis cum aliis membris Episcoporum Conferentiae consiliis; qui quidem generali quoque ordinatione casus talis necessitatis determinare potest;

2) ad quemlibet confessarium, si, praeter casus ab eodem Episcopo statutos, alia gravis exsurgat necessitas sacramentalem absolutionem una pluribus impertiendi; quo tamen in casu sacerdos, ut licite absolutionem impertiat, obligatione tenetur, quoties possibile sit, praevie recurrendi ad loci Ordinarium; secus de huiusmodi necessitate ac de data absolutione eundem Ordinarium quam primum certiorem faciat.

Quoad § 1, n. 1 et 2: peracto examine propositionum in consultatione prolatarum, Coetus eas acceptandas non esse decernit, excepta mutatione *accedat* cum *adsit*.

Mature considerata est propositio alicuius Conferentiae Episcopalis, cui placeret additio in § 1 locutionis *generice tantum confessis* ante verba *sine praevia* ... Additio placeret etiam duobus Consultoribus quia iam exstat in Ordine Paenitentiae. Re, tamen, ulterius considerata, textus remanet prouti iacet.

Emendationes quae ad § 2 proponuntur, reiiciuntur, quia verum non est textum huius paragraphi repetere quod iam continetur in § praecedenti; pariter in canonibus de iure poenali adest canon generalis qui rem considerat. Additio *sine praevia individuali confessione* post verba *absolutionem generalem* iam est in § 1, ideo non necessaria (unus Consultor), immo periculosa (alius Consultor).

Omnes Consultores insuper conveniunt ut § 3 perfecte sustineatur et supprimi nequeat, ut petierunt aliqui. Quoad § 3, n. 1: animadvertitur facultatem iudicandi et ordinationes faciendi non Episcopo dioecesano sed Episcoporum Conferentiae esse concedendam. Discrepat tamen unus Consultor, favet, e contra, Relator. Card. Praeses animadvertit problema fundamentale esse, sed adhuc modus vere efficax et iuridice validus nondum habetur vel inventus est. Alteri Consultori videtur textus sustineri, quia Episcopus, in casu concreto, rem determinat iuxta normas a Conferentia statutas. Omnibus rite perpensis, textus remanet prouti iacet.

Ad n. 2 quod attinet, hae quae sequuntur in Coetu delineantur positiones:

1) Alicui Consultori opportunum non videtur quod singulus sacerdos debeat statuere quandonam possibile sit absolutionem generalem impertire. Card. Praeses proponit abrogationem huius n. 2, quia revera ansam praebet usui indiscriminato absolutionis generalis. Sufficit ut dicatur quod Episcopus dioecesanus et Episcoporum Conferentiae possunt rem determinare. Missionariis iure missionario providebitur. 2) Alter Consultor proponit ut omnes canones de absolutione generali supprimantur et res Instructioni relinquatur, vel saltem haec § supprimatur. 3) Relator proponit ut textus noster cum textu ab aliqua Universitate proposito suppeditetur. Tertius Consultor textus Schematis conservationi favet et quartus Consultor instat ut haec materia in Codice reguletur et non cum Instructione aliqua, quia hoc modo facilius abusus corripiuntur.

Re mature perpensa, suffragium fertur de textu ab Universitate supradicta proposito, qui agilior validiorque ad abusus corripiendos videtur. Textus sic sonat:

§ 1. Absolutio pluribus insimul paenitentibus sine praevia individuali confessione, generali modo impertiri potest, immo vel debet:

1) si immineat periculum mortis et tempus non suppetat sacerdoti vel sacerdotibus ad audiendas singulorum paenitentium confessiones;

2) si adsit gravis necessitas, videlicet quando, attento paenitentium numero, confessariorum copia praesto non est ad rite audiendas singulorum confessiones intra congruum tempus, ita ut paenitentes, sine propria culpa, gratia sacramentali aut Sacra Communione diu carere cogantur. (Quod evenire potest, praesertim in terris missionum, sed in aliis etiam locis, necnon apud coetus personarum, in quibus illa necessitas constat. Necessitas vero non censetur sufficiens cum confessarii praesto esse non possunt, ratione solius magni concursus paenitentium, qualis haberi potest in magna aliqua festivitate aut peregrinatione).

§ 2. Iudicium ferre an dentur condiciones ad normam § 1, requisitae, pertinet ad Episcopum dioecesanum, qui quidem generali quoque ordinatione, collatis aliis cum membris Episcoporum Conferentiae consiliis, casus talis necessitatis determinare potest, nisi ordinatio generalis ab ipsa Episcoporum Conferentia iam data sit.

Textus ab omnibus probatur cum emendationibus quae sequuntur:

— in § 1, n. 2: supprimantur verba *Quod evenire ... necessitas constat;*

— itemque in § 2 deleantur verba *nisi ordinatio ... data sit.* Unus Consultor instat ut haec ultima verba § 2ae serventur. Suppressio maiori parte suffragiorum probatur (4 contro 3).

Aliae animadversiones, consultatione prolatae, rite consideratae non admittuntur, quia vel nimis particulares pro Codice, vel pertinentes potius ad instructiones particulares pro singulis locis, vel iam superatae ex approbatione textus propositi.

Can. 133 (novus)

§ 1. Ut christifidelis sacramentali absolutione una simul pluribus data frui valeat, requiritur non tantum ut sit apte dispositus, sed ut insimul sibi proponat singillatim debito tempore confiteri peccata gravia quae in praesens ita confiteri nequit.

§ 2. Caveat christifidelis, peccati gravis sibi conscius, ne, habita quidem copia confessariorum, de industria aut neglegentia obligationi confessionis individualis satisfacere declinet, occasionem qua absolutio simul pluribus detur expectans.

Aliquis Consultor proponit ut loco huius textus adhibeantur verba quae in Norma VI *Normarum pastoralium circa absolutionem sacramentalem modo generali impertiendam d. 16 iunii 1972* S. Congregationis pro Doctrina fidei habentur, quia lex pedagogica etiam est. Contradicit alius Consultor, qui tenet hanc normam pro omni genere confessionis valere, dum, e contra, hic sermo de sola confessione generali esse debet. Disceptatione peracta, omnes Consultores conveniunt ut textus ab aliqua Universitate propositus assumatur: qui textus sic sonat:

Ut christifidelis sacramentali absolutione una simul pluribus data valide fruatur, requiritur non tantum ut sit apte dispositus, sed ut insimul sibi proponat singillatim debito tempore confiteri peccata gravia quae in praesens ita confiteri nequit.

Ad § 2: Relator tenet textum nimis casuisticae indulgere ideoque proponit ut supprimatur. Accedit unus Consultor, quia iam implicite sunt dicta. Alter Consultor animadvertit rem iam in canone sequenti (134) contineri. Quattuor Consultores suffragium ferunt pro suppressione; et tres sunt contrarii suppressioni. Ergo § 2 huius canonis supprimitur et eius loco assumitur § 2 textus propositi a supradicta Universitate cum hac mutatione: verba *si tempus suppetat* transferantur post *periculi mortis*. Textus sic se habet:

Christifideles de requisitis ad normam § 1 edoceantur et absolutioni generali, etiam in casu periculi mortis, si tempus suppetat, praemittatur exhortatio ut actum contritionis quisque elicere curet.

Can. 134

Firma manente obligatione de qua in can. 159, is cui communi absolutione gravia peccata remittuntur, ad confessionem auricularem accedat antequam novam huiusmodi absolutionem sit recepturus, nisi iusta causa impediatur.

Relator animadvertit animadversiones ab organis consultationis factas non magni momenti esse et ad terminologiae uniformitatem assequendam proponit ut loco *auricularem* dicatur *individualem*.

Aliquis Consultor proponit ut textus schematis cum textu ab aliqua Universitate proposito componatur: quod placet aliis, quapropter textus qui probatus sequens est:

Firma manente obligatione de qua in can. 159, is cui generali absolutione gravia peccata remittuntur, ad confessionem individualem quamprimum, occasione data, accedat, nec antea aliam recipiat absolutionem generalem, nisi iusta causa interveniat.

CAPUT II

DE SACRAMENTI PAENITENTIAE MINISTRO

Can. 135 (CIC 871)

Minister sacramenti paenitentiae est solus sacerdos.

Animadversiones ab organis consultatis rite consideratae sunt, quae tamen non videntur acceptandae, quapropter textus remanet prouti iacet.

Can. 136 (CIC 872)

§ 1. Ad validam peccatorum absolutionem requiritur ut minister, praeterquam potestate per ordinationem sacram recepta, facultate gaudet eandem in fideles quibus absolutionem impertitur exercendi.

§ 2. Hac facultate donari potest sacerdos sive ipso iure sive speciali commissione ab auctoritate competenti facta ad normam can. 139.

Relator notat Codicem a. 1917 uti verbo *iurisdictio* quod nunc reservatur ad potestatem regiminis indicandam, ideoque melius hic loqui de facultate. Absolutio enim non est actus potestatis regiminis seu iurisdictionis, quae hodie bene distinguitur a potestate quae conscientiam respicit.

Placet § 1 et reicitur sententia, qua proponebatur suppressio necessitatis huius facultatis et secundum quam ordinatio sacerdotalis secumferret hanc facultatem absolvendi. Aliquis Consultor animadvertit quod esset gravis perturbatio quia si res ita se haberet Episcopus eam tollere nequiret.

Placet textus § 2. Considerata est animadversio nomen technicum adhibendi pro hac facultate, nempe *facultas paenitentialis*. Peracta disceptatione, animadversio non admittitur.

Can. 137 (CIC 873 et novus)

§ 1. Facultate de qua in can. 136, § 1, ad potestatem absolvendi exercendam, praeter Romanum Pontificem, ipso iure ubique erga omnes fideles gaudent Cardinales; itemque Episcopi omnes, sive dioecesani sive non, qui quidem eadem et licite ubique utuntur, nisi loci Ordinarius in casu particulari renuerit.

§ 2. Ipso iure eadem facultate ubique erga omnes fideles potiuntur quoque presbyteri qui sive vi officii sibi collati facultate gaudent ad confessiones excipiendas in suo territorio, sive facultate ad confessiones excipiendas donati sunt commissione speciali Ordinarii loci in quo domicilium, eoque deficiente quasi-domicilium, habent, firmo praescripto can. 144, § 3; eadem vero facultate licite utuntur tantum servatis, ubi statuantur, normis a loci Ordinario editis.

§ 3. Ipso iure eadem facultate ubique potiuntur erga sodales sui Instituti, aliosque de quibus in can. 514 § 1 (CIC), tum Moderatores clericalis Instituti vitae consecratae vi officii facultate gaudentes confessiones excipiendi suorum subditorum, tum presbyteri quilibet ab aliquo eiusdem Instituti Moderatore ad normam Constitutionum competenti facultate pro eius subditis donati; qui quidem eadem et licite utuntur, nisi aliquis Moderator quoad proprios subditos in casu particulari renuerit.

Ad § 1: Propositio mentionem non faciendi de Romano Pontifice in textu reicitur, quia esset aliquid mirum. Relator notat in textu mentionem fieri de Cardinalibus ne quis cogitare possit textum valere pro Episcopis, sed non pro Cardinalibus. Unus Consultor petit ut loco *nisi loci Ordinarius* ... dicatur *nisi Episcopus dioecesanus* ... Contradicit Relator, cum verba ex M. P. *Pastorale Munus*, n. 2, proveniant. Peracta disceptatione, res ad suffragium submittitur. Consultor qui propositionem fecit sese abstinet. Favorabiles ad mutationem sunt tres Consultores; contrarii pariter tres Consultores. Ergo textus remanet, et tollitur verbum *omnes* post *Episcopi*.

Ad § 2: Relator epistulam legit, ubi, ex commissione Superioris Auctoritatis petitur ut praescriptum can. 137, § 2 reexaminetur, eidem etiam eventuales modificationes aut opportunas limitationes afferendo. Unus Consultor animadvertit epistulam consultationi generali antecedentem esse, cuius exitus valde favorabiles sunt ad istius facultatis extensionem. Alter Consultor extensioni favet, censet tamen ut aliqua

limitatio poni possit, ex. gr. sese praesentandi ad Episcopum loci si aliquis sacerdos per longum tempus illa in dioecesi, quavis de causa, commoratur. Tertius Consultor timet periculum alicuius *burocratizationis*. Omnes conveniunt etiam de presbyteris addendam esse clausulam *nisi loci Ordinarius in casu particulari renuerit*. Quartus Consultor omnino contrarius est propositae extensioni propter gravia incommoda pastoralia. Quintus Consultor esset favorabilis extensioni, sed valde perplexus manet postquam epistulam audivit. Sextus Consultor valde favet canonis textui, sed in canonibus de clericis petit ut adiungatur quod post unum vel duos menses sacerdos tenetur se Episcopo loci praesentare, vel saltem loci Ordinarium de sua praesentia monere. Relator, ut norma non in canonibus de clericis sed hic poni possit, proponit ut dicatur quod sacerdos, si intra praefinitum tempus de sua praesentia Ordinarium loci non monet, facultatem confessiones audiendi amittit. Tandem aliquando disceptatione peracta, textus remanet prouti iacet.

Neque accipitur animadversio dicendi *habitualiter absolvendi*, quia facultas de qua agitur confessionem respicit et non tantum absolutionem, quae facultas est etiam non absolvendi.

Quis domicilium vel quasi-domicilium amittere potest et novum nondum habere, quapropter visum est opportunum titulum etiam de incardinatione adiungere ideoque dicatur: *in dioecesi sive incardinationis, sive domicilii eoque deficiente quasi-domicilii.*

Si quis per aliquod tempus in quam dioecesi residet ibique facultatem confessiones audiendi exercet, monere debet loci Ordinarium. Tamen, cum res usum omnium facultatum respiciat, ad canones de clericis remittitur.

Ad § 3: Aliquis Consultor proponit ut redeatur ad textum cann. 875 et 514 CIC, in quibus facultas audiendi confessiones in Institutis vitae perfectionis iuris pontificii a proprio Moderatore ad normam Constitutionum conceditur. Constitutiones vero possunt materiam moderari. Alius Consultor praeferret ut loco *ad normam Constitutionum* dicatur *ad normam iuris proprii*, quia aliquibus in Institutis res regi potest etiam extra Constitutiones. Tertio Consultori placet textus uti est. In fine disceptationis, maiori parte suffragiorum, textus probatur uti iacet cum emendationibus quae sequuntur: 1) loco citationis canonis 514, § 1 CIC, eiusdem verba in textu inserantur *diu noctuque in domibus degentes;* 2) post *vitae consecratae* dicatur *iuris pontificii*; 3) in fine post *aliquis Moderator* dicatur *aliquis Moderator maior*. Et haec erit § 4, quia

in § 3 sermo faciendus est de servandis regulis ab Episcopo dioecesano aut ab Episcoporum Conferentia hac de re statutis.

Quapropter textus, qui proponitur, est sequens:

Can. 137

§ 1. Facultate christifidelium ubique terrarum confessiones excipiendi ipso iure, praeter Romanum Pontificem, gaudent Cardinales; itemque Episcopi, sive dioecesani sive non, qui eadem et licite ubique utuntur, nisi loci Ordinarius in casu particulari renuerit.

§ 2. Eadem facultate ubique erga omnes christifideles vi iuris potiuntur quoque presbyteri qui eadem facultate in proprio territorio gaudent sive vi officii sibi collati sive vi commissionis specialis Ordinarii loci incardinationis aut Ordinarii loci in quo domicilium, eoque deficiente quasi-domicilium, habent, nisi loci Ordinarius in casu particulari renuerit.

§ 3. Episcopus et presbyter, ut facultatem de qua in §§ 1 et 2 licite exerceant, normas ab Episcopo dioecesano aut ab Episcoporum Conferentia hac in re editas servare debent.

§ 4. Ipso iure eadem facultate ubique potiuntur erga sodales sui Instituti aliosque in domo aliqua Instituti diu noctuque degentes, tum Moderatores clericalis Instituti vitae consecratae iuris pontificii vi officii eadem facultate quoad subditos suos gaudentes tum presbyteri quilibet ab aliquo eiusdem Instituti Moderatore, ad normam Constitutionum competenti, facultate pro eius subditis donati; qui quidem eadem et licite utuntur, nisi aliquis Moderator maior quoad proprios subditos in casu particulari renuerit.

Ad § 1: proponente uno Consultore, verba *praeter Romanum Pontificem* initio textus ponuntur.

Ad § 2: Idem Consultor proponit ut verbum *renuerit* mutetur, quia sufficiens sibi non videtur; sed maioritas Consultorum non accipit mutationem, et textus remanet uti iacet. Relator animadvertit verba *nisi ... renuerit* ad validitatem esse.

Textus probatur cum sequentibus emendationibus: 1) *Facultate confessiones christifidelium ubique excipiendi* loco *Eadem facultate ... christifideles*; 2) post *habent* adiungatur *firmis praescriptis can. 147, §§ 2 et 3;* 3) ponatur *alicuius* post *nisi.*

Ad § 3: uni Consultori non placet ut mentio fiat de Episcoporum Conferentia, tamen suffragatione tamen peracta, suffragiorum paritatis causa, textus servatur uti est.

Placet § 4.

Can. 138 (CIC 873 §§ 1 et 2)

§ 1. Vi officii pro sua quisque ditione facultate ad confessiones excipiendas gaudent loci Ordinarius, Canonicus paenitentiarius, itemque parochus aliique qui loco parochi sunt.

§ 2. Vi officii facultate gaudent confessiones excipiendi suorum subditorum aliorumque de quibus in can. 514 § 1 (CIC) Moderatores Instituti clericalis vitae consecratae ad normam Constitutionum potestate regiminis exsecutiva fruentes.

Ad § 1: Reicitur animadversio per quam vi ipsius ordinationis facultatem ordinariam habeant presbyteri ad confessiones excipiendas, quia non sustinetur (cf. p. 47 et 54). Disputatur de aliis quoque personis quibus vi officii concedenda esset facultas confessiones excipiendi et praesertim de iis, qui vices parochi gerunt.

Suffragatione peracta, propter suffragiorum paritatem, textus remanet prouti est.

Placet § 2.

Can. 139 (CIC 874 et 875)

§ 1. Solus loci Ordinarius competens est qui facultatem ad confessiones quorumlibet fidelium excipiendas commissione speciali conferat presbyteris quibuscumque; presbyteri autem sodales Institutorum vitae consecratae eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Moderatoris.

§ 2. Moderator Instituti clericalis vitae consecratae, ad normam Constitutionum potestate regiminis exsecutiva in suos subditos gaudens, competens est qui facultatem ad excipiendas confessiones suorum subditorum aliorumque de quibus in can. 514 § 1 (CIC) speciali commissione conferat presbyteris, tum sodalibus alicuius Instituti vitae consecratae tum saecularibus.

Perpensis observationibus ab organis consultationis prolatis, textus probatur prouti iacet, tantum hisce inductis emendationibus: ad § 1, post

presbyteris dicatur *quibuslibet* loco *quibuscumque*; ad § 2, post *vitae consecratae* addatur *iuris pontificii,* et in fine textus erit *aliorumque de quibus in can. 136, § 4 speciali commissione conferat presbyteris quibuslibet*, demptis verbis *tum sodalibus ... saecularibus.*

Can. 140 (CIC 877)

Loci Ordinarius, itemque Moderator Instituti clericalis vitae consecratae competens, facultatem ad confessiones habitualiter excipiendas ne concedant nisi presbyteris qui idonei per examen reperti fuerint aut de quorum idoneitate aliunde constet.

Attentis animadversionibus in consultatione prolatis, textus qui probatur est sequens:

Facultas ad confessiones excipiendas ne concedatur nisi presbyteris qui idonei per examen reperti fuerint aut de quorum idoneitate aliunde constet.

Can. 141 (CIC 874 § 1)

§ 1. Facultatem ad excipiendas habitualiter confessiones loci Ordinarius presbytero saeculari, etsi domicilium vel quasi-domicilium in sua ditione habenti, ne concedat, nisi prius, quantum fieri possit, audito proprio eiusdem presbyteri Ordinario.

§ 2. Facultatem ad excipiendas habitualiter confessiones loci Ordinarius ne concedat sodali Instituti vitae consecratae qui a proprio Moderatore non praesentatur; ei vero qui a proprio Moderatore praesentatur sine gravi causa eam ne deneget, firmo tamen praescripto can. 140.

Placet § 1.

Quoad § 2: Uni Consultori non placet quod religiosus praesentari debeat a proprio Moderatore, quia eadem res non requiritur pro sacerdote dioecesano: esset aliqua discriminatio et rerum conceptio est consideratio absoluta et anticonciliaris. Contradicit alius Consultor qui tenet de diversa conceptione agi: Ordines religiosi in servitio quoque Episcoporum sunt, tamen per proprios Superiores hoc fieri debet.

Disceptatione peracta, sequens textus probatur: *Facultatem ... consecratae, nisi, quantum fieri possit, audito eiusdem proprio Moderatore; ei vero ...*

Can. 142 (CIC 878)

Facultas ad confessiones excipiendas a competenti auctoritate de qua in can. 139, concedi potest ad tempus sive indeterminatum sive determinatum.

Textus placet prouti est.

Can. 143 (CIC 879)

Facultas ad confessiones excipiendas, quantum fieri possit, scripto concedatur.

Proponente aliqua Episcoporum Conferentia, post *confessiones* adiungitur *habitualiter.*

Can. 144 (CIC 880)

§ 1. Loci Ordinarius, itemque Moderator Instituti clericalis vitae consecratae competens, facultatem ad confessiones excipiendas habitualiter concessam ne revocent nisi gravem ob causam.

§ 2. Revocata facultate ad confessiones excipiendas a loci Ordinario de quo in can. 137, § 2, presbyter eandem facultatem ubique amittit; revocata eadem facultate ab alio loci Ordinario, eandem amittit in territorio revocantis tantum.

§ 3. Quilibet loci Ordinarius qui alicui presbytero revocaverit facultatem ad confessiones excipiendas, certiorem reddat Ordinarium ratione incardinationis presbyteri proprium aut, si agatur de sodali Instituti perfectionis, eiusdem competentem Moderatorem.

§ 4. Revocata facultate ad confessiones excipiendas a Moderatore generali Instituti vitae consecratae aut a proprio suo Moderatore competenti, facultatem ad excipiendas confessiones ubique amittit presbyter sodalis Instituti vitae consecratae; revocata autem eadem facultate ab alio Moderatore competenti, eandem amittit erga solos eiusdem subditos.

§ 5. Ipso iure facultate ad confessiones excipiendas privatur sacerdos, sententia aut decreto irrogante vel declarante excommunicatus, suspensus ab officio aut interdictus.

Animadversiones generales ad canonis textum nihil habent ut textus substantialiter mutetur.

Ad § 1: magis placet Consultoribus prouti est.

Ad § 2: Textus caret praecisione, quia remittit ad can. 137 § 2, scilicet ad Ordinarium de quo in illo canone. Sed in illo canone quaestio est de duobus Ordinariis loci diversis. Quapropter post verba *excipiendas a loci Ordinario* adiungitur *qui eam concessit.*

Ad § 3: Placet uti est, mutato tamen verbo *perfectionis* cum *vitae consecratae.*

Ad § 4: Post longam disceptationem tantum haec introducitur mutatio: *a proprio suo Moderatore maiori*, loco *competenti.* Et textum, per transpositionem quorundam verborum, hoc modo ordinatur:

Revocata facultate ... a proprio suo Moderatore maiori, facultatem ... ubique erga sodales Instituti amittit presbyter; revocata autem ... eandem amittit erga solos in eiusdem ditione subditos.

Ad § 5: Placet textus, sed, proponente aliquo Consultore, loco *suspensus ab officio* dicatur *aut interdictus aut a sacramentorum celebratione suspensus.*

Can. 145 (CIC 882)

Quilibet sacerdos, licet ad confessiones excipiendas facultate careat, quoslibet paenitentes in periculo mortis versantes valide et licite absolvit a quibusvis peccatis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus.

Consideratis observationibus in consultatione factis, textus probatur uti iacet, addito tamen *censuris et* post *a quibusvis.*

Can. 146 (novus)

In errore communi de facto aut de iure, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, supplet Ecclesia facultatem ad confessiones excipiendas requisitam.

Textus remanet uti est, consideratis etiam observationibus ex consultatione generali promanantibus.

Aliquis Consultor quaestionem de loco ubi inserendus esset canon movet, quia ipsi videtur melius in canonibus generalibus de sacramentis locum habere, quia applicatur ad confirmationem, paenitentiam et matrimonium. Contradicit Relator, qui tenet illam facultatem non eiusdem esse naturae illis in casibus.

Can. 147 (CIC 884)

Absolutio complicis in peccato contra sextum Decalogi praeceptum invalida est, praeterquam in periculo mortis.

Non videntur acceptandae animadversiones in consultatione prolatae et textus probatur uti est.

Can. 148 (CIC 886)

Si confessarius non dubitet de paenitentis dispositione et hic absolutionem petat, absolutio ne denegetur nec differatur.

Omnibus rite perpensis, acceptatur suggestio eorum qui desiderant ut canon iste transferatur post can. 151, sed textus manet probatus uti est.

Conventus dd. 14-19 novembris 1977 habiti

Can. 149 (CIC 894)

Qui confitetur se falso confessarium innocentem apud auctoritatem ecclesiasticam denuntiasse de crimine sollicitationis ad peccatum contra sextum Decalogi praeceptum, ne absolvatur nisi prius falsam denuntiationem formaliter retractaverit.

Consideratis observationibus ab organis consultatis prolatis, placet ut tantum de damnis reparandis sermo instituatur et non de auctoritate apud quam retractatio facienda est.

Relator tenet obligationem quam paenitens habet sacerdotem reum delicti sollicitationis in confessione denuntiandi ad Paenitentiam non pertinere, dum alius Consultor tenet hic non agi de sexto sed de honore ipsius sacramenti Paenitentiae.

Aliquis Consultor quaerit rationes ob quas abolitio can. 904 CIC facta est, quia praecise in illo canone agebatur de obligatione ex parte paenitentis sacerdotem reum denuntiandi. In relatione Sessionis VIII, habitae dd. 8-13 novembris 1971, haec quae sequuntur de re notantur: